Quelle: http://manuscripta.at/?ID=30305

Copyright: Heiligenkreuz, Zisterzienserstift

Cumque circa albinensium ciuitatem. uerbum sanctum in populo predicaret. et de eius uirtute rumores concurrerent per totam italiam et maris litora. et per cunctas romanas. ut rauennatium ciuitates. fama eius perlata fuisset. unus magister militum in supra dicta albinensium ciuitate. ueniens ad uestigia sancti Dalmatii prouruens in terram. rogans eum pro filia sua. quam uelut mortuam. ex multo tempore grauissima infirmitate detentam. usque ad mortem dimiserat inclinatam. Quem ille beatus ex uultu ipsius cognouit ~~eum~~ esse paganum. et sic dedit responsum. Homo quid meum poscis auxilium. mortalis ego sum. tue socius fragilitatis. Sed si credis unigenitum christum dei filium. et efficeris christianus. post hec non debet ad dalmatii uenire humilitatem. filiam tuam inuenies sanam. alacremque corpore. Tunc ipse militum magister ut audiuit uerbum. tetigit dominus cor eius. et ab eodem presbitero baptizatus est. Et dum benedictionem acciperet. et illis stantibus beatus dalmatius erigens oculos ex animo intendebat in celum. et subito quasi in aere eleuaretur. auscultans aurem ponebat. Illi uero qui aderant. apprehendentes uestimenta sua. osculabantur pedes eius. rogantes que nam esset causa exponeret. Ad quos ille respondit. Turbam angelorum audiui psallentem. Antonius uir iustus qui rauenna morabatur ex iuuentute sua. sanctus in migrauit a seculo. ipsum gaudentes in paradysum ducunt ad dominum. Statimque miles ille omni fide instructus. reuersus ad patriam. inuenit filiam incolomem. et ipsa die ipsaque hora qua uir dei predixerat. cognouit sanctum antonium migrasse ad dominum. Nam cum omnia de uirtute sancti que uiderat. et que audierat. coram omni plebe per singula narrasset. ut cognouissent eum esse christianum. eo quod esset senior ciuitatis. et eis ut christum dominum ex toto corde crederent predicaret. multi magnificabant gratiam que data est dalmatio. In illo die conuertit dominus corda eorum. et credidit pars populi. et tota domus eius. et cognatio et amici eius. et baptizati sunt uiri et mulieres et paruuli in ciuitate illa numero duo milia. quingenti et octo. Post hec miles ille nomine ualerianus. cum aliis sociis. xxx. et duobus ab imperatore suo comprehensi

passi sunt. et pro corona martirii meruerunt celestia regna. et facti sunt amici dei omnipotentis. Sed et alia oriuntur. que et facta secuntur. Cum in mediolanensem urbem fuisset ingressus. quedam mulier filium suum ad eius protulit pedes. quem ille intellexit a diabolo nimia uexatione dilapsum. sed ut matris aspexit lacrimas. totum se in oratione prosternens. diutissime orauit. Et postquam se eleuauit. coram stantibus dixit. Domine creator astrorum qui in uirtute tua celos firmasti. et ad ymaginem tuam hominem de limo terre plasmasti. presta michi. ut iste inimicus generis humani qui in istum puerum ausus est introire ipse se confiteatur a domicilio corporis eius esse proiectum. Cumque uir dei signum christi manu sua in fronte pro eo posuisset. et eadem hora de ore eius et naribus pueri sanguis erupit. et sic diabolus cum magno fremitu. alta uoce clamare cepit. Si dalmatius huc non uenisset. de isto puero numquam exiuissem. Tunc ibi eum beatus Dalmatius discutiens. manifestauit omnia. que per cunctam germaniam faciebat excessa. et sic ei per uirtutem domini imperauit. ut in desertum pergeret. et ideo deinceps a regione illa expulsus nullum temptare ausus est christianum. Et factus est puer ex illa hora recto et mundo corpore. et ibat cum eo mater eius benedicens dominum. Adhuc et deinde cum ad ciuitatem papiam ingressus esset. angelus domini compositus in iuuenem. in uia cum ipso se iunxit. et ambulabant pariter. Iam ille in salutacione ipsius angelum dei esse cognouerat. Nam et alia adueniente turba populi. ad tycini urbem fluminis portum. cum ipsis pariter festinabat. Cumque uenissent ad ipsum flumen. populus multus erat paratus transire. dicit ad adiunctum sibi iuuenem. sanctus Dalmatius. Scio enim quia angelus dei es. quid faciemus pro multitudine. nisi crastina die transeamus. manifesta tua miracula. Et dum ipse coram iuuene sanctam orationem impleuerat. illis qui cum eis uenerant. aspicientibus. sanctum Dalmatium et collegam eius in alia ripa uiderunt eos stantes. Et cum interrogati fuissent quod fuerat factum. dixerunt. Virtus christi que in mari manum porrigebat petro. ipsa nos posuit huc. Et peruenerunt simul

Marginalia:

Oro.

Demonem liberat.

Hic coniungit se angelus ei.

Per reuelationem diuinam cognouit omnis sanctum Anthonium migrasse ad dominum. Et magistro militum baptizato filiam fecit in cunctis incolomem.

Ecce miles ille modo baptizatus adduxit duo milia quingentos et octo.

Hic angelus cum duobus christum contra flumen posuit.